

nium perhibere. Datum Romae apud sanctam Sabinam id. Decembris pontificatus nostri anno primo. Gulganus.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur. Ursinus St. Afra S. 121 f., welcher fälschlich das Breve dem P. Honorius III. (1216) beilegt.

No. 175. 1286. 6. Juli.

Markgraf Heinrich der Erlauchte eignet dem Afrastifte zwei von diesem erkaufte Hufen in Brockwitz und eine Mühle an der Triebische bei Meissen.

In nomine domini amen. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio omnibus hanc litteram inspecturis notitiam subscriptorum. Quoniam omnium habere memoriam et in nullo penitus peccare divinitatis potius, quam humanitatis existit, publice utile est et consultum, ut ea quae aguntur in tempore, ne simul dissolvantur cum tempore, perhennentur obsequio litterarum. Notum igitur esse volumus universis tam praesentis quam futuri aevi Cristi fidelibus, quod cum honorabilis vir dominus Leo, praepositus sanctae Afrae in Misna regularium canonicorum nomine sui monasterii duos mansos sitos in villa Broctitz ab Ottone de Rudinghesdorf et Johanne de Chotatscuitz pro octoginta marcis argenti, et a Petro de Prevowe et Petrissa uxore sua necnon heredibus eiusdem Petrissae, quos per maritum priorem habuisse dinoscitur, molendinum situm super fluvium Trebescam prope Misnam sub monte Judeorum, solvens unum talentum denariorum Vribergensium et duo maldaria siliginis annuae pensionis, pro decem marcis argenti et decem talentis denariorum Vribergensium comparasset, iusto interveniente emptionis et venditionis titulo et omni sollempnitate iuris et facti, quae in huiusmodi consuevit adhiberi contractibus, accedente. Cumque praedicti Otto et Johannes praedictos duos mansos, et Petrus cum uxore sua Petrissa et heredibus eius molendinum praedictum nobili viro Meinhero Misnensi burgrauio, a quo tam mansi quam molendinum tenebantur, resignassent, et idem M. memoratos mansos et molendinum in nostris manibus tamquam superioris domini spontanee et liberaliter resignasset, nos ad honorem et gloriam omnipotentis dei et beatissimae matris suae virginis Mariae, necnon ob salutem animae nostrae et omnium progenitorum nostrorum proprietatem dictorum mansorum et molendini donavimus tradidimus et adiecimus monasterio beatae Afrae in Misna tenendam perpetuo et habendam. Et ut haec nostra donatio a nobis liberaliter facta robur obtineat perpetuae firmitatis nec a nostris heredibus aut successoribus possit imposterum immutari, hanc nostram patentem litteram super eo Dresden dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam, anno dom. M^o.CC^o.LXXX^o.VI^o. II. nonas Julii. Testes huius facti sunt praedictus nobilis vir Meinherus burgravius Misnensis, Rudegherus de Schachowe, Johannes et Henricus fratres de Syden, Hermannus de Maltitz, Fridericus magister coquinae, Hermannus de Tannenvelt, Henricus de Hunsbere et quamplures alii fide digni.

Nach zwei völlig gleichlautenden Originalen im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem beschädigten Reitersiegel an Fäden von grüner, rother und weisser Seide.

Märcker Burgrafschaft. Meissen S. 425 f.